

sanum per prius dicitur de animali, et secundo de herba, quo exemplo frequenter utitur S. Thomas ad explicandam hanc rationem veritatis in intellectu, et in rebus, ut in præsentia quæstione XVI, art. I et III ad I, art. VI, et quæst. I de verit. art. II. Et certe veritatis transcendentalis non appellatur proprie, et formaliter veritas, sed causa, seu fundamentum veritatis, sicut herba non habet proprie, et formaliter sanitatem, sed causam ejus: ergo stando in VI, et formalitate præcisa veritatis, principaliter, et perfectius est veritas in intellectu, quam in rebus, imo in intellectu proprie, in rebus solum per analogiam, et denominationem.

LVII. Propter hoc divisi sunt auctores in hac parte. Quidam censent tam veritatem intellectus, quam rerum esse ens rationis, et ex parte æquales, ut p. Vasquez hic disp. LXXVII, c. IV, sed tamen quoad denominationem, seu expressionem veri, censet primario, et per se esse in intellectu, secundo in rebus, et solum per quamquam attributionem, quia res in se non est formaliter vera, sed solum causa veritatis, aut falsitatis, quæ in enuntiatione invenitur, ut etiam docuerat disp. LXXVI, c. II, et ita verum se habet, sicut sanum: hoc enim dicitur de animali proprie, et formaliter de herba denominative, sic verum formaliter, et proprie pertinet ad intellectum, denominative ad res, quia causæ sunt veritatis. Quæ sententia etiam attribui solet Cajetano in præsentia articulo VI, §. Ad secundam, qui sentit veritatem solum esse in intellectu, in rebus autem secundo, sicut sanum in animali, et herba, et favet D. Thomas locis allegatis.

LVIII. Alii tenentes veritatem principaliter et perfectius inveniri, ubi est conformitas passiva rei cum

suo principio, et per modum mensurati ad mensuram, conformitatem vero per modum mensuræ, dicunt quod non est proprie veritas, sed veritas solum dicit conformitatem mensurati. Unde aliquando veritas est proprius et principaliter in intellectu, aliquando in rebus: nam in nostro intellectu speculativo qui sumit cognitionem a rebus, veritas est proprie, quia est ibi adæquatio, et conformitas ut passive mensurata a rebus; in intellectu vero practico qui facit res, et est mensura illarum, non est veritas proprie, quia se habet ut mensura, non ut mensurata respectu illarum. At vero in rebus creatis respectu intellectus divini, cui tamquam principio, et regulæ conformantur, datur etiam veritas proprie, et formaliter, quia est veritas mensurata ab illis, non respectu intellectus creati quem mensurant.

LIX. Tertii denique distinguunt de eo a quo primo fit denominatio, seu cui primo nomen imponitur, et de ipsa re, quæ tali nomine significatur. Primo modo dicunt principaliter veritatem convenire intellectui, quia est nobis illa veritas notior, et primo sic nominata est. Secundo vero modo dicunt verum principaliter esse in rebus, quia illi invenitur passio entis, et fundamentum veritatis intellectus, sicut plura nomina primo sunt imposita ad significantes perfectiones creatas, et tamen ex parte rei significatæ principaliter sunt in Deo, quam in creaturis.

LX. Nihilominus dico primo: Si veritas consideretur secundum se pro præcisa relatione conformitatis, et adæquationis, omnino consistit in indivisibili, nec est principaliter in uno quam in alio, in intellectu quam in rebus. Ratio est, quia sic veritas versatur pure inter esse, et non esse, inter quæ non est invenire medium, nec latitudinem ma-

gis, et minus, sicut etiam aliæ relationes, ut æqualitatis, et adæquationis, non inveniuntur principaliter in substantia, quam in accidente, licet illa principalioris entitatis sit, quia consistunt formaliter in indivisibili: quidquid enim excedatur, vel diminuatur, jam non manet æqualitas. Quod ergo veritas sic consistat in indivisibili patet, quia veritas sumitur ex eo quod res est, vel non est; ita quod si non ita est, sicut affirmatur, hoc ipso desinit veritas, et succedit falsitas: ergo veritas est conformitas, et adæquatio inter esse, et non esse, inter quæ non datur latitudo: et sic omnis veritas ex hac parte consistit in indivisibili, et consequenter non suscipit magis et minus. In veritate quidem intellectus id constat, quia est affirmatio, vel negatio de eo quod res est, vel non est, atque adeo ejus conformitas versatur inter esse, et non esse rei. Similiter veritas entitativa est adæquatio indivisibilis cum suo principio, seu idea, quia vel conformatur cum tali idea, vel non: si non conformatur, recedit ab illa, et incipit habere aliam ideam; si vero adæquatur illi, saltem quoad substantiam, et esse, hoc ipso habet veritatem illius. Et licet aliquid possit quantum ad apparentiam conformari uni ideæ, et in proprietate, seu substantia alteri, tamen non potest duplici ideæ conformari in proprietate, et substantia, sed tantum uni, quia tantum habet unam essentiam. Unde sicut essentia rerum consistunt in indivisibili, ita et veritas entitativa, falsitas autem ex eo contingit in rebus, quia in apparentia videntur unum, et in proprietate sunt diversa. Quare in substantia, et essentia res solum conformantur uni ideæ, seu principio, si autem res conformantur illi, cessat proprietate, seu veritas, quæ sumitur per ordinem ad tale prin-

cipium, et ideo consistit in indivisibili, scilicet in conformari, vel non conformari.

LXI. Dico secundo: Si attendamus ad fundamentum, seu firmitatem veritatis, et conditiones ejus, potest admittere latitudinem, et principaliter seu perfectius potest inveniri in uno, quam in alio. Et aliquæ conditiones ex istis principaliter inveniuntur in intellectu, aliæ principaliter in rebus: et juxta hoc sententiæ relatæ conciliantur inter se, et ex omnibus illis resultat resolutio. Hæc conclusio constabit, enumerando istas conditiones, seu respectus, et formalitates veritatis. Et primo, considerari potest ratio firmitatis, seu immutabilitatis, et certitudinis. Secundo, quod sit passio entis discernens ens verum ab ente ficto. Tertio, quod sit objectum intellectus. Quarto, quod sit asserta, et manifestata veritas. Quinto, quod habeat rationem mensuræ, vel mensurati. Sexto, ipsa denominatio, seu potius nominatio veri, ubi præcipue invenitur, an in veritate intellectus, vel rei.

LXII. Circa istas conditiones discurrendo, quod attinet ad primam, constat manifeste quod firmitas, seu immutabilitas veritatis principaliter invenitur in intellectu divino, ex cujus ideis derivatur ad creaturas; participative autem prius et principaliter invenitur in rebus, quam in intellectu, quia totum fundamentum certitudinis, et firmitatis intellectus ipse sumit a rebus: ipsa autem certitudo formalis, id est, ut certificans nos, seu ut asserta, et manifestata in nobis, primario, et per se invenitur in intellectu, ut statim dicemus. Secunda, et tertia conditio veritatis principaliter, et per se inveniuntur in rebus: nam esse passionem entis transcendentaliter convenit ipsi entitativæ veritati. Similiter esse objectum intellectus

principaliter convenit ipsi enti: intellectus enim non est objectum sui nisi in quantum ens quoddam est. Quarta conditio primo, et per se invenitur in intellectu, quia veritas ut manifestans se nobis, et certificans nos, non est nisi intra intellectum, ubi est manifestatio, et apprehensio, seu assertio veritatis; et talis veritas dicitur formalis formalitate, scilicet manifestationis, et certitudinis. Et secundum hanc rationem veritas sic sumpta non invenitur in rebus, nisi denominative, et analogice, licet veritas transcendentalis et objectiva proprie inveniat in rebus. Quinta conditio sic distribuitur, quod veritas in ratione mensuræ invenitur principaliter in intellectu divino, quia est principium, et mensura omnium: in rebus autem invenitur veritas ut mensurata per conformitatem, et ordinem ad intellectum divinum, ut mensurans autem per ordinem ad intellectum creatum, quia intellectus ex conformitate ad res desumit suam veritatem: et tamen, ut advertit Sanctus Thomas quæst. I de verit. artic. II, in rebus prior, et principalior est ordo mensurati ad intellectum divinum, quam mensurantis ad intellectum creatum, quia prius est id quod participamus a Deo, quam quod communicamus aliis: in ipso autem intellectu creato invenitur veritas per modum mensurati, quantum ad intellectum speculativum, quia sic dependet ab objecto, ut mensurante, et movente. Invenitur autem per modum mensuræ in intellectu practico, quia sic regulat, et determinat res quas facit. Sexta denique conditio videtur per prius inveniri in veritate intellectus, quam rei, quia nomen veritatis, seu denominatio ipsius prius videtur imposita veritati intellectus, eo quod veritas ibi est nobis notior, ubi magis resplendet ejus manifestatio, et

certificatio quoad nos, quod fit in intellectu, sicut e contra nomen boni magis impositum est bonitati rerum quam voluntatis, eo quod perfectio in qua fundatur ratio boni magis consummatur in apprehensione, et possessione rei, quam appetimus, quam in ipso actu appetendi.

LXIII. Ex his autem omnibus elicimus, quod simpliciter loquendo veritas creata perfectius invenitur in rebus, quam in intellectu, quia ibi invenitur permanentius, et actualius, et participatio veritatis a Deo immediatius descendit ad res, inde vero communicatur cognitioni intellectus, quia habet pro fundamento, et objecto movente ipsam veritatem entitativam rei. Et licet intellectus, quia entitas spiritualis est, sit perfectior multis veritatibus rerum ad extra, tamen hoc ipsum convenit illi ratione veritatis suæ transcendentalis, quæ sequitur ad entitatem illius spiritualem, sicut etiam inter ipsas res quædam sunt perfectiores aliis in entitate, et veritate.

LXIV. Ad rationem dubii a principio pro ea parte quæ tangit veritatem transcendentalem, jam responsum est. Pro ea autem parte qua intendit probare de veritate iudicii, quod sit principalior, respondetur quod quando Divus Thomas, Cajetanus et alii auctores docent veritatem esse primario in intellectu, et secundario in rebus, loquuntur de veritate formali, prout est veritas manifestans, et certificans nos, aut manifestata, et expressa; sic enim proprie, et formaliter solum invenitur in intellectu: in rebus enim non invenitur manifestatio, et expressio veritatis, sed solum objectum, fundamentum, et causa illius. Hoc tamen non obstante veritas transcendentalis proprie, et formaliter est in rebus, neque est negandum quod cum omni proprietate sit appellanda veritas, tum quia sic communi-

in ordine ad unam conclusionem inferendam.

XXXIII. Respondetur imprimis non requiri ad formandam compositionem, quod concurrant plures species impressæ sola unitate ordinis conjunctæ, sed etiam formari potest una species impressa ex pluribus, quæ junguntur in prima operatione, collatis inter se, et per illam speciem impressam sic formatam, et repræsentantem plura, quæ repræsentabantur in simplici apprehensione sub altiori ratione unius comparisonis, aut conjunctionis, et differentiæ, et per talem speciem formabitur unicus conceptus propositionis. Nec nos diximus solum ipsum conceptum propositionis esse unum entitativum, sed conceptum, vel speciem; nec D. Thomas requirit plures species, nisi præsuppositive: ex eo enim quod una species in nobis sic repræsentat unum, quod non aliud, indiget conferre unam speciem cum alia: sed quod ex ista collatione non formetur una species impressa pro conceptu compositionis D. Thomas non dicit, sed potius oppositum affirmat in hac prima parte, quæst. XII, art. IX ad II. Neque enim est major ratio cur formetur unicus conceptus repræsentans plura per modum unius, et non unica species impressa. Et in hac solutione argumentum non habet locum.

XXXIV. Secundo, dicimus quod adhuc dato quod concurrant plures species impressæ immediate, et formaliter ad formandum unam propositionem, adhuc potest propositio formata esse una entitativa, licet species impressæ sint plures, et solum unitate ordinis jungantur. Et ratio est, quia plures species impressæ concurrunt ad formandum conceptum sub applicatione, et usu potentiæ, et ista applicatio est una, et ordinat omnes illas species ad

unum effectum numero, sicut artifex potest applicare plura instrumenta ad unum effectum numero faciendum, sic intellectus utitur speciebus quasi instrumentis, seu repræsentationibus sibi subordinatis, et potest uti pluribus inadæquate se habentibus ad producendum unum conceptum numero, quia utitur omnibus illis sub ea ratione, qua conveniunt, et sic accipit illas ut causa partiales respectu unius effectus; sicut ex patre, et matre fit una causa, quæ sub una actione producit unum effectum numero. Dicimus ergo, quod unitas conceptus entitativa non sequitur unitatem speciei materialiter, et entitative sumptum, sed unitatem operationis, quæ potest pluribus speciebus tamquam causis partialibus, et inadæquatis uti ad eliciendam unam operationem, et consequenter unum conceptum qui est terminus illius.

XXXV. Ad confirmationem respondemus solutione data: et ad replicam dicimus infra, circa quæstionem LVIII, art. IV, ubi D. Thomas omni Angelo, tam superiori, quam inferiori negat compositionem, et divisionem, propterea eandem rationem, scilicet quia Angelus, sive inferior, sive superior intelligendo aliquam quidditatem, per eandem speciem intelligit quidquid ei attribui, vel removeri potest. Itaque prædicatum aliquod vel negatur a subjecto, vel attribuitur illi. Et si attribuitur, vel est ejusdem ordinis, vel superioris, sicut accidens supernaturale. Si negatur aliquod prædicatum quodcumque illud sit, non indiget Angelus ut specie repræsentante distincte naturam rei negatæ: ad hoc enim indigeret distincta specie, sed sufficit quod sibi repræsentetur carentia talis naturæ, etiam si solum in confuso repræsentetur res negata, et sub ratione rei exclusæ,

non sub ratione positiva suæ quidditatis, et constitutionis: non enim ad cognoscendum quod homo non est leo requiritur repræsentatio distincta quidditatis leonis, sed sufficit repræsentatio repugnantiae quam habet cum homine. Et hoc in ipsa repræsentatione hominis videtur, seu in affirmatione ejus, ut dicit D. Thomas loco citato ad secundum: « Per hoc, inquit, quod cognoscitur veritas affirmationis, cognoscitur falsitas negationis oppositæ. » Et sic species unius servit ad cognitionem sui oppositi, ut exclusi a se, si attribuitur aliquod prædicatum proportionatum, et connaturale subjecto, non indiget nisi specie ipsius subjecti ad illam attributionem faciendam, non autem collatione plurium specierum, quia per speciem unicam substantiæ cognoscit Angelus, etiam inferior, omnia accidentia, quæ sibi conveniunt. Si vero prædicatum quod attribuitur subjecto sit supernaturale, seu alterius ordinis, tunc indiget distincta specie repræsentante illam quidditatem supernaturalem, sed tamen in illamet specie repræsentante accidens supernaturale repræsentatur ejus subjectum, quia repræsentatur illud accidens in concreto: licet enim illud accidens non sit debitum subjecto, tamen subjectum illud est debitum accidenti, et est illo inferior, cum sit naturalis ordinis. Unde licet per speciem subjecti non possit repræsentari accidens supernaturale, tamen per speciem talis accidentis potest repræsentari subjectum, quia est illi accidenti debitum seu inferius illo. Unde ad attribuendum istud accidens subjecto, non indiget collatione plurium specierum, sed sola specie accidentis supernaturalis repræsentati in concreto, et per illam speciem intelligitur attribui tali subjecto in eo repræsentato.

XXXVI. Ad id quod dicitur de discursu, respondimus quæstione quinta summul. art. II. Breviter dicimus quod in discursu non intelligit intellectus plura per modum unius, quia non reducit illa ad unam comparationem convenientiæ, vel differentiæ, sicut facit in compositione, et divisione, sed potius facit plures comparationes, scilicet majoris et minoris inter se, et cum conclusione. Et iterum procedit per modum resolutionis, et deductionis unius ex alio formaliter; et sic formaliter exigit plures operationes, quia fit per transitum de uno ad aliud: compositio autem, et divisio fit per adunationem plurium in uno, et sic una operatione intelligit plura per modum unius.

ARTICULUS IV.

Vindicantur rationes D. Thomæ ab articulo IV, usque ad VIII.

VERUM EST PRIUS BONO.

I. In articulo quarto docuit S. Thomas verum nostro modo intelligendi esse prius bono, duplici ratione. Primo, quia verum propinquius se habet ad ens, quam bonum: consequitur enim verum ipsum ens simpliciter, etiam abstrahendo ab existentia; bonum vero ipsum ens ut perfectum, et cum ordine ad existentiam; sic enim est appetibile. Secundo, quia verum respicit cognitionem, bonum vero appetitum; prior est autem cognitio, quam appetitus.

II. Utraque ratio displicuit p. Vasquez eamque rejicit hic dist. LXXVII, cap. V, num. XV et XVI. Et primam solvit distinguendo duplex bonum, unum absolutum, quod est ipsa integritas rei, aliud relatum, quod est bonum, ut conveniens alteri. Et hoc secundum dicit fundari in ente ut perfecto, et sic est objectum ap-

petitus, scilicet quatenus conveniens. Primo autem fundatur in ipso ente simpliciter, non minus quam verum, et hoc bonum est passio entis, non secundum. Et ita si ratio D. Thomæ procedit de hoc bono, quod est passio entis nihil probat. Secundam rationem solvit, quia bonitas est in rebus ante omnem ordinem ad appetitum, vel intellectum, veritas vero est primo, et per se in intellectu, denominative vero in rebus: ergo potius bonitas est prior veritate, sicut res est prior cognitione. Licet ergo cognitio sit prior appetitu, tamen bonum si sumatur absolute pro integritate, non dicitur per ordinem ad appetitum, sed absolute in se, et sic est passio entis. Si vero sumatur relate, et ut conveniens appetitui, non dicitur bonum ex appetitu, sed quia bonum est, appetitu attingitur. Nihil ergo conducit posterioritas appetitus, ut bonum dicatur posterius vero.

III. Cæterum impugnationes istæ valde debiles sunt, nec possunt labefactare rationes D. Thomæ. Et in primis bonum sumptum pro integritate rei, ut late ostendimus præcedenti tomo circa quæstionem V, disp. VI, non est passio entis, sed pertinet ad constitutionem ipsius entis, quia integrat, et componit illud, et sic perfectio ut formaliter constituens, et reddens rem perfectam in se non est passio rei, sed constitutio: perfectio autem, seu bonum ut finalizans, non ut constituens est passio entis, sic autem respicit appetitum quem finalizat, et qui tendit ad se. Quare bonum, quod est passio, debet explicare aliquid ultra constitutionem ipsius entis: constitutio enim, et integratio subjecti nunquam potest vim habere proprietatis, quia hoc consequitur (saltem ratione nostra) ad ipsam rem, cujus est proprietas, non vero

constitutionem ingreditur: repugnat enim conceptui proprietatis esse constitutum formaliter ejus, cujus est proprietas, licet possit realiter esse identificatum illi. Implicat ergo quod bonum sub conceptu integritatis, qua constituitur, et integratur ens se habeat ut passio, sed tunc incipit induere conceptum passionis, cum incipit consequi ad ens constitutum, non ipsum constituere. Et ideo oportet quod secundum conceptum passionis addat supra ens constitutum aliquem respectum causæ finalizantis, seu appetibilitatis, et non solum sistat in conceptu formalis integrantis: ita quod non solum se habeat ut perfectum, sed ut perficiens per modum finis: ergo prout sic debet ei correspondere aliquid perfectibile ut finalizatum: hoc autem quod est perfectibile a fine, et in potentia ad ipsum, et tendens ad illud, generali modo dicitur appetitus, sive innatus, sive elicitus, et bonum, seu finis sic perficiens dicitur appetibile. Et sic bonum, ut passio, addit supra ens hanc rationem, seu convenientiam appetibilitatis, sive sit bonum absolute, sive relate. Sed in hoc distinguitur bonum ut absolutum, et bonum ut relatum, quod bonum absolute est conveniens respectu sui, et respectu propriæ appetibilitatis; bonum vero relate respectu alterius extra se. De quo plura videantur citato loco.

IV. Adhuc tamen abstrahendo ab hac disputatione, an bonum consistat in integritate entis, an vero addat respectum ad appetitum, ratio D. Thomæ subsistit. Nam veritas transcendentalis, et quæ est passio entis, ut late supra ostendimus ex ipso D. Thoma, et dicit ordinem adæquationis ad ideam divinam, a qua habet proprietatem sui esse, et habet ordinem ad intellectum creatum, quem movet, ut ipsi

veritati rei adæquetur. Bonitas etiam dicit perfectionem, seu plenitudinem, aut integritatem in suo esse, et hoc habet ex participatione bonitatis divinæ; et ex hac conformatione ad ipsam, in habendo omnia quæ sibi debentur, habet perfectam integritatem, et plenitudinem sui esse. Et deinde ex hoc resultat quod tale bonum sit appetibile, et perficiat finalizando appetitum, si ergo comparemus veritatem cum bonitate, quantum ad primum respectum, et formalitatem, clarum est quod veritas propinquius, et prius se habet ad ens, quam bonum, quia prius est aliquem effectum, seu artefactum commensurari suæ ideæ et principio absolute, et simpliciter in esse, quam imperfectione, et integritate eorum, quæ sibi debentur. Ad veritatem autem pertinet quod aliquid sit simpliciter, et in esse; ad bonitatem vero, quod sit tale in perfectione, et integritate, ut etiam Vasquez vult: ergo prior est adæquatio veritatis, quam commensuratio bonitatis. Patet consequentia, quia esse simpliciter, et absolute tale quod pertinet ad veritatem, est fundamentum et præsuppositum ut sic perfecte, et integre tale: hoc enim pertinet ad ornatum, illud ad substantiam, sicut prius est aliquid esse hominem quam habere integra et perfecta membra, et sensum hominis, quod est esse perfectum hominem; si ergo illud est fundamentum, et quasi substantia bonitatis, prius est illa; et sic veritas se habet quasi ipsa substantia, et esse rei, et id per quod talis res non est falsa, nec ficta, sed habet proprium esse, et essentiam talis rei, abstrahendo ab hoc quod est habere illam ornatam, perfectam, et integram, bene enim stat quod aliquid vere sit homo, et non sit integre, et perfecte homo, quod aliquid vere sit aurum, et non perfectum aurum. Er-

go stat solida ratio prima S. Thomæ quod verum est prius bono, quia propinquius se habet ad ens; sequitur enim ipsam substantiam, et essentiam rei, bonitas autem ipsam perfectionem et integritatem; hæc autem supponit tamquam fundamentum, et præsuppositum ipsam substantiam, et essentiam: super hanc enim cadit perfectio. Et sic manet soluta prima impugnatio Vasquez.

V. Ad secundam impugnantiam Vasquez contra secundam rationem D. Thomæ est advertendum, quod S. Thomas ponit ad eandem objectionem in hoc articulo IV, arg. II. « Bonum, inquit, est in rebus, verum autem in compositione, et divisione intellectus, sed ea quæ sunt in re, sunt priora his quæ sunt in intellectu: ergo prius est secundum rationem bonum quam verum. » Hoc idem est argumentum Vasquez. Respondet autem S. Thomas quod: « Secundum hoc aliquid dicitur prius ratione, secundum quod prius cadit in intellectum. Intellectus autem per prius apprehendit ens, et secundo apprehendit se intelligere ens, et tertio se appetere ens. Unde primo est ratio entis, secundo ratio veri, tertio ratio boni, licet bonum sit in rebus. » Quare D. Thomas concedit majorem pro prima parte, scilicet quod bonum sit in rebus; sed pro secunda, scilicet quod verum est in compositione intellectus, virtualiter distinguit illam. Verum est in compositione intellectus, loquendo de veritate formali, concedo; loquendo de veritate transcendentali, et quæ est passio entis, nego; hoc enim etiam invenitur in rebus. Et D. Thomas in initio corporis articuli explicavit se loqui de vero transcendentali, dum dicit quod verum, et bonum supposito convertuntur cum ente, id est, in eodem subjecto sunt, veritas autem formalis cum sit in

intellectu, non est in eodem subjecto cum bono, quod est in re extra. Ad minorem concedit D. Thomas, quod ea quæ sunt in rebus sunt priora his, quæ sunt in intellectu loquendo cum præcisione. Ad consequentiam: ergo bonum est prius quam verum, distingo; quam verum formale, quod est in intellectu nostro, transeat; quam verum entitativum quod est in rebus, et participatur ab intellectu divino, nego. Hoc autem explicat verbis supra relatis, quia esse prius ratione dicitur aliquid secundum quod cadit in intellectum, id est, secundum quod natum est illi objici, et ab eo apprehendi. Prius est autem, in intellectu apprehensio entis (quod pertinet ad simplicem apprehensionem) secundo, apprehendit se intelligere (quod pertinet ad compositionem, et divisionem, quæ, comparando id quod intelligit ad id quod est in re, quodammodo reflectit) et tertio est apprehendere se apparere ens (id est, judicare de convenientia, et appetibilitate rei, proponendo illam voluntati.) Unde sicut hi actus ordine quodam se habent ex parte intellectus, ita signum est quod ordine quodam eis respondeant aliquæ rationes, seu respectus ex parte objecti, et ita primo est in intellectu ratio entis, quæ simplici apprehensioni correspondet; deinde ratio veri transcendentalis, quæ correspondet secundæ operationi compositionis, et divisionis. Tertia ratio appetibilitatis, quæ correspondet iudicio proponenti voluntati bonum. Et sic patet mens S. Thomæ et solutio argumenti Vasquez. Et quando dicit quod ex eo quod cognitio est prior appetitu, non efficitur, quod veritas sit prior bonitate; dicimus non effici ex hoc tamquam ex causa, sed ex hoc quasi a posteriori colligi, quia quod relucet in actibus correspondet in objectis.

VI. Quod vero addit bonum absolutum non dici in ordine ad appetitum, sed ad se, bonum vero relate antecedere appetitum, respondetur quidquid sit de ista antecedentia boni ad appetitum, nos non agere de illa, sed de antecedentia inter verum quod respicit intellectum, et bonum quod respicit appetitum, non de prioritate inter ipsum bonum, et appetitum. Et quia cognitio est prior appetitu, inde quasi a posteriori deducitur quod etiam ex parte objecti cognoscibilitas est prior appetibilitate, veritas bonitate, quia illa est objectum intellectus, ista appetitus, sive constituatur in ratione objecti per tales respectus, sive ante illos. Nam quidquid sit de hoc, tamen constat bonum esse objectum appetitus, fundareque respectum, seu terminationem ad ipsum, et verum transcendentali, saltem pro fundamento esse objectum intellectus, et fundare respectum ad illum, id est, respectum rationis. Et sic proportionate loquendo tanta est prioritas inter verum et bonum nostro modo intelligendi ex parte objecti, quanta realiter ex parte actuum cognitionis, et appetitionis. Nec obstat quod appetitus innatus antecedit cognitionem, et tamen respectu illius datur bonum: dicimus enim quod appetitus innatus antecedit cognitionem in eo in quo est appetitus, non in auctore naturæ, a quo dirigitur, et ordinatur.

RECTE PROBAT D. THOMAS DEUM ESSE SUMMAM VERITATEM.

VII. Procedit probatio D. Thomæ tam de veritate formali, quam de transcendentali, et utramque probat esse in Deo ex earum definitione. Nam veritas transcendens dicitur esse in re per conformitatem ad intellectum divinum, a cujus parti-

non sub ratione positiva suæ quidditatis, et constitutionis: non enim ad cognoscendum quod homo non est leo requiritur repræsentatio distincta quidditatis leonis, sed sufficit repræsentatio repugnantiae quam habet cum homine. Et hoc in ipsa repræsentatione hominis videtur, seu in affirmatione ejus, ut dicit D. Thomas loco citato ad secundum: « Per hoc, inquit, quod cognoscitur veritas affirmationis, cognoscitur falsitas negationis oppositæ. » Et sic species unius servit ad cognitionem sui oppositi, ut exclusi a se, si attribuitur aliquod prædicatum proportionatum, et connaturale subjecto, non indiget nisi specie ipsius subjecti ad illam attributionem faciendam, non autem collatione plurium specierum, quia per speciem unicam substantiæ cognoscit Angelus, etiam inferior, omnia accidentia, quæ sibi conveniunt. Si vero prædicatum quod attribuitur subjecto sit supernaturale, seu alterius ordinis, tunc indiget distincta specie repræsentante illam quidditatem supernaturalem, sed tamen in illa specie repræsentante accidens supernaturale repræsentatur ejus subjectum, quia repræsentatur illud accidens in concreto: licet enim illud accidens non sit debitum subjecto, tamen subjectum illud est debitum accidenti, et est illo inferior, cum sit naturalis ordinis. Unde licet per speciem subjecti non possit repræsentari accidens supernaturale, tamen per speciem talis accidentis potest repræsentari subjectum, quia est illi accidenti debitum seu inferius illo. Unde ad attribuendum istud accidens subjecto, non indiget collatione plurium specierum, sed sola specie accidentis supernaturalis repræsentati in concreto, et per illam speciem intelligitur attribui tali subjecto in eo repræsentato.

XXXVI. Ad id quod dicitur de discursu, respondimus quæstione quinta summul. art. II. Breviter dicimus quod in discursu non intelligit intellectus plura per modum unius, quia non reducit illa ad unam comparationem convenientiæ, vel differentiæ, sicut facit in compositione, et divisione, sed potius facit plures comparationes, scilicet majoris et minoris inter se, et cum conclusione. Et iterum procedit per modum resolutionis, et deductionis unius ex alio formaliter; et sic formaliter exigit plures operationes, quia fit per transitum de uno ad aliud: compositio autem, et divisio fit per adunationem plurium in uno, et sic una operatione intelligit plura per modum unius.

ARTICULUS IV.

Vindicantur rationes D. Thomæ ab articulo IV, usque ad VIII.

VERUM EST PRIUS BONO.

I. In articulo quarto docuit S. Thomas verum nostro modo intelligendi esse prius bono, duplici ratione. Primo, quia verum propinquius se habet ad ens, quam bonum: consequitur enim verum ipsum ens simpliciter, etiam abstrahendo ab existentia; bonum vero ipsum ens ut perfectum, et cum ordine ad existentiam; sic enim est appetibile. Secundo, quia verum respicit cognitionem, bonum vero appetitum; prior est autem cognitio, quam appetitus.

II. Utraque ratio displicuit p. Vasquez eamque rejicit hic dist. LXXVII, cap. V, num. XV et XVI. Et primam solvit distinguendo duplex bonum, unum absolutum, quod est ipsa integritas rei, aliud relatum, quod est bonum, ut conveniens alteri. Et hoc secundum dicit fundari in ente ut perfecto, et sic est objectum ap-

petitus, scilicet quatenus conveniens. Primo autem fundatur in ipso ente simpliciter, non minus quam verum, et hoc bonum est passio entis, non secundum. Et ita si ratio D. Thomæ procedit de hoc bono, quod est passio entis nihil probat. Secundam rationem solvit, quia bonitas est in rebus ante omnem ordinem ad appetitum, vel intellectum, veritas vero est primo, et per se in intellectu, denominative vero in rebus: ergo potius bonitas est prior veritate, sicut res est prior cognitione. Licet ergo cognitio sit prior appetitu, tamen bonum si sumatur absolute pro integritate, non dicitur per ordinem ad appetitum, sed absolute in se, et sic est passio entis. Si vero sumatur relate, et ut conveniens appetitui, non dicitur bonum ex appetitu, sed quia bonum est, appetitu attingitur. Nihil ergo conducit posterioritas appetitus, ut bonum dicatur posterius vero.

III. Cæterum impugnationes istæ valde debiles sunt, nec possunt labefactare rationes D. Thomæ. Et in primis bonum sumptum pro integritate rei, ut late ostendimus præcedenti tomo circa quæstionem V, disp. VI, non est passio entis, sed pertinet ad constitutionem ipsius entis, quia integrat, et componit illud, et sic perfectio ut formaliter constituens, et reddens rem perfectam in se non est passio rei, sed constitutio: perfectio autem, seu bonum ut finalizans, non ut constituens est passio entis, sic autem respicit appetitum quem finalizat, et qui tendit ad se. Quare bonum, quod est passio, debet explicare aliquid ultra constitutionem ipsius entis: constitutio enim, et integratio subjecti nunquam potest vim habere proprietatis, quia hoc consequitur (saltem ratione nostra) ad ipsam rem, cujus est proprietas, non vero

constitutionem ingreditur: repugnat enim conceptui proprietatis esse constitutum formaliter ejus, cujus est proprietas, licet possit realiter esse identificatum illi. Implicat ergo quod bonum sub conceptu integritatis, qua constituitur, et integratur ens se habeat ut passio, sed tunc incipit induere conceptum passionis, cum incipit consequi ad ens constitutum, non ipsum constituere. Et ideo oportet quod secundum conceptum passionis addat supra ens constitutum aliquem respectum causæ finalizantis, seu appetibilitatis, et non solum sistat in conceptu formalis integrantis: ita quod non solum se habeat ut perfectum, sed ut perficiens per modum finis: ergo prout sic debet ei correspondere aliquid perfectibile ut finalizatum: hoc autem quod est perfectibile a fine, et in potentia ad ipsum, et tendens ad illud, generali modo dicitur appetitus, sive innatus, sive elicitus, et bonum, seu finis sic perficiens dicitur appetibile. Et sic bonum, ut passio, addit supra ens hanc rationem, seu convenientiam appetibilitatis, sive sit bonum absolute, sive relate. Sed in hoc distinguitur bonum ut absolutum, et bonum ut relatum, quod bonum absolute est conveniens respectu sui, et respectu propriæ appetibilitatis; bonum vero relate respectu alterius extra se. De quo plura videantur citato loco.

IV. Adhuc tamen abstrahendo ab hac disputatione, an bonum consistat in integritate entis, an vero addat respectum ad appetitum, ratio D. Thomæ subsistit. Nam veritas transcendentalis, et quæ est passio entis, ut late supra ostendimus ex ipso D. Thoma, et dicit ordinem adæquationis ad ideam divinam, a qua habet proprietatem sui esse, et habet ordinem ad intellectum creatum, quem movet, ut ipsi